

Johannes Bochmann der Jüngere

**DE FASTIDII || RERVM PRAESEN-||TIVM CREBRITATE;|| CAVSSIS; & || FVGA;||
EX || ISOCRATIS DIVINO || stérge tà parónta || ORATIO.|| IN ILLVSTRI ROSARVM
|| publicè dicta;|| à || IANO BOCHMANNO Borusso. ||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178092996X>

Druck Freier  Zugang



F. Boeckmann.
R. U. phil. 1600.

DE FASTIDII
RERVM PRÆSEN-
TIVM CREBRITATE;

CAVSSIS;

&

FVGA;

EX

ISOCRATIS DIVINO

στέφανος τῆς μακεδονίας

ORATIO.

IN ILLUSTRIS ROSARVM

publicè dicta;

à

IANO BOCHMANNO Boruffo.



Typis Stephani Myliandri ibidem impressa; -

Anno Epochæ Christianæ M. C.

*Ornatissimo et natalium splendore multum gratioso
juveni; dno CHRISTOPHO KELLERMANNO
fabricio Rosstochien amico meo
L. B. E. Imj. 1700*

D. O. M. D.

DE AΨIKOPIA h. e. R E
RVM PRÆSENTIVM FASTIDIO
& propriæ fortis dedignatione ac
pœnitiâ ;

*Cujus morbi intemperia in omni propemodum corde humano, præ-
sertim ante statam ætatem, æstuant, ac tumultuantur ;*

TESTE VEL VNO HORATIO, neminem qui
suâ sorte contentus vivat excipiente ;

*Orationem doctam & acutis sententijs stipatam in AVDITO-
RIO MAGNO, die crastino horâ IX.
pronunciabit ;*

Iuuenis eruditione, ingenio, & morum
comitate politissimus


IOHANNES BOCHMANNVS
Borussus Elbingensis.

Huic, istius morbi causas & remedia indaganti &
proponenti, ut unius horæ audientiam, quam nihil
tædij habituram artificiosa argumenti spondet tracta-
tio, non ægrè largiantur CL. D. Professores,
cæterique Academiæ cives, amanter
& officiosè rogo.

P. P. Rostochii ultimâ feriâ Pasch. Anno 1600.

M. MARTINVS BRASCHIVS
Logices Professor publ.





In eleganter eruditam orationem

D. IOANNIS BOCHMANNI.



Vrea neclarea dum fundis flumina
lingua,

Condemnasq; hominum votis pugnan-
tia vota,

In propriâq; iubes quemcunq; quiescere pelle,

BOCHMANNE, ô Sophia & Panacea
haud segnis alumne,

Aonidum, Charitum, & iuuenû flos atq; medulla.

In te unum ora, animum, obstupefactaq; lumina

Omnîû, & attentas diuinis vocibus aures. (vertis

Maclæ tuis opibus, tantoq; hoc robore lingua,

Quo quondam Amphion, atq; Orpheus Thracius
olim

Cum brutis silvas, & saxa sequentia duxit.

Tu modò tam largo tibi quæ data munere Divûm

Ocl ac desidia pereant marcere caveto;


Ut velut Alcides invicto hoc robore dextra,

Aut uti dux tuus, ille Hygienes Couis alumnus,

Reliqua monstra animi tristes serissima morbos

A teipso, atq; alijs profliges omnia sollers.

M. EILHARDVS LVBINVS
poëseos Professor publ.



*Nobilissimis; spectabilibus, & am-
plissimis viris;*

Dn. GEORGIO BRVNONI,
BVRGGRABIO REGIO;

Dn. IOHANNI A ROBERN
SPRENGELIO;

Dn. IOHANNI ISINDERFFIO;
Consulibus;

Dn. ANDREAE MORENBER-
GIO;

Dn. GEORGIO VVIDERO;
Senatoribus inclytæ Republicæ
ELBINGENSIS;

Dn. IOHANNI ANTONIO
NÆVIO MED. DOCT.
excellentissimo;


*mei Mecenatibus ac Patronis;
benivolentia & observantia*

æternum monumentum

t. m. q. offero

IANVS BOCHMAN
Elbingensis.

Si quid-



I quidpiam priscæ sapientiæ nobis relic-
 tum est, quod laudationis sagittâ, vt
 cum Satyrico loquar, ex merito referi-
 endum; fabularum antiquitatis inven-
 tum laudè profectò istâ inclarescer,

*Apologon
 inventum
 utilissimū;*

quâ dulcius eo nil, nil salubrius vn-
 quam inventum; iurè asseremus. Quid quæso fructu-
 osius, quàm animalium, arborum, plantarum, aliorum
 sub imagine hominum animos iocundè representari,
 & ingeniosè adumbrari? divina intentio videtur hæc
 inventio; & est profectò, si salutariter atq; ex vsu, ac-
 commodè administratur. Venit iam in mentem, me-
 minisse istius in fabulis Asini, qui quondam de hortu-
 lani sævitia conquestus, Iovi supplicem se præbuit,
 mutandæ seruitutis causâ. Exorato Iove, regularius
 offertur; sed asinus ferendis tegulis impar, alio impe-
 trato, coriario subijcitur. quo cognito; etiam sibi de-
 mortuo malè futurum, cum dolore ingemuit. Inge-
 nia hîc istorum depicta videtis, qui status proprii per-
 tæsi, aliena appetunt, & curiosè sectantur; qui suarum
 rerum saturi, aliena præposterè sitiunt & esuriunt;
 qui priuatis, id est, suis non acquiescentes, ad pu-
 blica vergunt, & se vertunt. Quorum pelti,
 cum præsentissimo antidoto, animorum Æsculapi-
 us ille Isocrates, mederi voluerit, suo *σέβει τὴν παρρησίαν*,
 dicto illo; quo vitæ mortalium, nihil dictum vnquam
 accommodatius, nihil melius, nihil vtilius; Ego, pro
 penuriâ ingenij mei, & nativâ propemodum habetu-
 dine, quantum fieri poterit *ἔγωγε καὶ τὰς μοῦσας* de

*Ex illis A-
 sinus;*

*Fastidien-
 tium (sua
 morbum,
 patefacit;*

De quo dicturus ; Virtutis, & Vitij istius natura hodiè dicturus ; atq; ità dicturus, vt ; frequentia eius, & causis primò demonstratis ; argumenta post in medium afferam, quæ à noxâ vitij istius videantur quenq; non duntaxat dehortari ; sed ad culturam Virtutis tantæ, tam conducibilis ferio infigare.

Que ordine
si cum benigritate audiat. Vos iam Auditores meos, Clarissimos, Nobilissimos, Lectissimos appello ; vt, quam, in accedendo primùm, vestram adversus me benivolentiam professi ; eandem jam, in me audiendo, vterius magis magisq; confirmeris.

Frequentissimum erratum, querendi aliena ; Quid igitur frequentius hoc vitio, quod omnibus seculis, omni majorum nostrorum, & nostro ævo, inter Christianos juxtà ac agentes fuisse accepimus & extitisse ? Nec longè abieris. Sedulus modò & sciendi cupidus, si Philosophorum attenderis querelis, si Satyricorum imbibere sermones, si historiarum consulueris series ; certum invenies, quod toties expetisti.

Quod inter sexcentos ; Horatius probat. Atq; inter Satyricos, humanitatis fidos expressores, ex innumeris, vel vnus prodeat Horatius, ille Musarum sacerdos ; quàm graphicè, vacillantia ingenia, mores incompósitos, vitam intranquillam hominum, veritatis penicillo delineavit, ad Meccenatem in hæc metra prorumpendo !

Serm. 1. Satyr. 1. Quæ sit Meccæna, vt nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illâ
Contentus viuat ? laudet diuersa sequentes ?
O fortunati mercatores ! grauis annis
Miles ait ; multo jam fractus membra labore ;
Contra Mercator, navim jactantibus austris ;
Milicia est potior ; quid enim ? concurritur, hora
Momento cita mors venit, aut victoria lata.
Agricolam laudat iuris legumq; peritus,

Sub

Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat ;
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est ;
Solos felices viventes clamat in vrbe.

Alij com-
plures ;

Neq; vt hic anxie nimis omnia, quibus cum Persio
Iuvenalis, vterq; ocelli sapientiae, in desultorium ho-
minum genus istud animadvertere, disquiram; cui fa-
cienda rei alioquin & face & viatico mihi opus foret;
prudentissimus Seneca oraculi instar nobis esto, ille
ille, qui, quod in medendo corporibus fidelis archia-
trus; in animis emendandis, sapientissimus corrector
assecutus est. Atq; vti ille incurias aegri, qua ciborum,
qua aliarum rerum cum dolore saepissime ingeminat;
sic iste iniuriarum vice, vices istas fastidiendi praesen-
tia detestatur, & proclamat. *Fluctuamus, queritur, inter
vana consilia, nihil liberè volumus, nihil absolutè, nihil semper.*

Et Seneca;

Et rursus. *Optamus contra id quod optavimus, pugnant no-
stra vota cum votis, consilia cum consilijs.* Alio in loco magis:

De beata
vita.
CXXXVIII.

*Fluctuamus; aliudq; ex alio apprehendimus, petita relinquimus,
relicta repetimus, alternè inter cupiditatem nostram & penitentiam
sunt vices.* O inconstantiam humanam & levitatem,
cuius proprium mutare semper & poenitere, vacillare
& nutare! quam Thucydides quoq; multo ante praevi-
dit immo praedixit; isto το παρον αει βαρυ; vti & illo,
δοῦλοι οντες τε εν αει ατοπων υπερεσθηαι των ειδωτων. Vidit
enim, vidit gravissimus scriptor, fluctuationes istas, &
desultorias hominum naturas saepissime fomitem sibi
exituisse exilij iuxta ac exitij. Et cur non fuissent? Si
quispiam tantis tantorum scriptorum non adstipule-
tur suffragijs, non moveatur tot gravissimis testimo-
nijs; vsui saltem & experimentis cottidianae vitae, cal-
culum album, quod aiunt, adijciat.

cum Thucy-
dide;

Atq; vti Chamæleon, quoniam aura (ut aiunt) non cibo vescitur, hianti semper est ore; sic experimur

Et ad vivam
demonstrat
communis
cotti-
vitae cursus

in omni ge-
nere condi-
tionum.

cotidiè, eos cupidine agi, quos ventus inflavit dubia-
rum opinionum. Vide mihi illos, & considera, qui
Laurigeri multi, pauci Phœbi; id est, musarum nomine
tenus cultores, ad sordida illa, & vulgata vulgi, mer-
caturam, civilesq; conditiones adspirant; qui vicissim,
mercaturam, professi, ad Parnassum musarum colu-
men, animum adijciunt. Ecce; qui aulam iam expe-
tebat, & occupârat, rursus fastidit, & beatos cense-
t qui latent; qui privatim victitat, & intra proprios pa-
rietes suis occupatur, excitatur publicis, & invidet
purpuratis; pariq; levitate togati ad sagum properant,
& hi rursus ad togam. Et quis queso proprio conten-
tus? Ignobilis nobilitatem, clarus clariorem se reddi,
parili furore exoptant. Et quid hi solum? Reges ipsi
queruntur & dimicant de suo regno; hoc volunt, hoc
nolunt; hoc hodie spernunt, cras appetunt; & vt
æstuoso salo, cymbulâ iactantur piscatores; sic illi te-
merè animis inpingunt in hanc illâ ve partem. Hinc
perpes illud tædium in nobis, & velut nausea omni-
um rerum, quâ acti, damnamus parentum, & nostra
vota; & tam cupidè quæsita quædam deserimus,
quàm ante quærebamus;

Certa amittimus, incerta appetimus, ad circumfusa illa
& vana bona abimus, iactamur, & natamus semper
inter cupidinum novos fluctus.

Satis iam audivistis Auditores, Clarissimi & Le-
ctissimi, &, vt opinor, probatam firmiter cognôstis,
vitij huius crebritatem & frequentiam, in regibus
publicis vitæ rectoribus, in privatis cuiusq; conditi-
onis. Caussarum iam quoq; audite, & cum attentione
precor, seriem & congeriem.

Principiò, si quod res est, dicendum est; *proclivis &*
muta-

mutabilis est humana conditio, ut quocunq; intenderit, eò propen- Ambros. lib. de Ioseph.
 das & vergat, naturali quâdam, & nativâ fermè dicam
 levitate. Grave me hercle; & si libretur, pestiferum Seneca in
 malum fluctuatio, *indiciu[m] malæ mentis*, incompositæ, *Seneca in*
 nunquam sibi ipsi fidentis. Etenim, vt folia arborum *proverb.*
 cum ramis à tempestatum procellis iactata, in hanc mo-
 dō, modō in aliam partem impelluntur, cadunt, rapiuntur; similiter animi hominum, circumacti vulga-
 rium iudiciorum quovis vento. Quò fit; vt *mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, cotidie permutantur, neq; quidquam ex istis idem & simile perseveret.* Hinc est, quòd Seneca in
 nemo proponat sibi, quod velit; nec si proposuit, perseveret in eo; *epist.*
 sed transiliat; nec tantum mutet in eo, sed redeat, & in ea, que *deservit ac damnavit revolvatur.*

Plato in convivio.
 Seneca in epist.

Sed neq; duntaxat Levitatis ductu & Inconstan- *Novitatis etiam cupiditas;*
 tiæ, humana infirmitas despicit; verum etiam Novitatis dulcedine, satietatis priorum nau-
 scæ, aliena spectat & curiosè sectatur. Namque vt

cunstarum novitas gratissima rerum; *III. de Ponto.*
 sic vicissitudinis, & pristinorum mutationis, nescio quæ falsa voluptas hominum animos effascinavit.
 Ita Lucianus quoq; alicubi novitatis avidissimos hosce notavit; τὸ φιλόκαινον inquiring καὶ τὸ ἀνικερον φύσει *ἐπὶ διαβολῆς.*
 πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, *novitatis amor, & presentium saturitas naturâ cunctis mortalibus inest.*

Et fortean ex Impatientiâ etiam natum arbitrêre *Cum Impatientiâ;*
 hunc humanitatis morbum? quo hominem perperam diversa diversum trahunt, & occupârunt? ita videtur. & est profectō; cum *dura res sit dolor, & pauci dolorem ferre possint, naturâ imbecilles.* Atellus ille *Ætropicus*
 ante nobis exemplo fuit; & nunc est, huius Impatientiæ. Nullâ namq; de causâ visus ille servitutem *Senec. de Remedio fortunæ.*
 toties mutare, quàm impatientiâ fractus, difficilis, & *Ita*
 vix tolerandæ servitutis, *B*

Opiniones
magis, in alienorum
felicitate;

quæ fallunt, quò
perrexis.

* cū ipsis
manipulis. Prov.

Superbia
quòque inflat
ad mutandum.

Plato in Polit.
Callimachus.
Salust. Iugurt.

Chilonis apoph.

Ita opinionum quoque & Persuasionum summi mentem pervertunt, & dum ad melius ducere videntur, fallunt; Ut oculus qui per aquam aut nebulam quæ inspicit, falsò metitur; sic animus istorum qui per opinionis nubem. Quod fit, dum ita imponit hominibus persuasio, illas functiones quas arripiendas censet, faciliores & multò lautiores pristinis traducendo; atque ita de calcariâ in carbonariam, quod aiunt, miseros decurrere, facit; & dum nescio quæ lucella promittit, * *αὐταῖς ἀμάλῃς* ipsos in exitium graviter deturbat. Tanta nimirum abiectæ & vilis illius opinionis malitia; quâ non erigitur homo, sed deprimitur; non firmatur, sed depravatur; non vigere incipit, sed silere; quæ non certitudine nititur aut veritate; sed vana, incerta, fallax, malè consulit, malè iudicat, constantiâ imprimis animum spoliât, & veritate.

Sed & fastidij rerum præsentium causam, non immeritò Superbiam confestim, si examussim, quod dicitur, rem, vt par, ponderaverimus. Quo enim sine figulus rotata vasa detestatur, quàm isto; status humilis sui transponendi causâ? cur mercator mercimonijs infestus; quàm quòd immortalitatem ex literis, honorem ex studijs, sibi acquirere annitatur? principatus quid principi non sufficeret, ni sicut Solem inter sidera, sic regem inter mortales locatum, cottidiè experiretur? Quid quòd reges non acquiescant regno suo in causâ; sed militibus circum circa septi, agendò audendoque, augere illa nunquam desistant? quàm quòd *ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων* haberi velint; & vt *ὡς θεὸς βασιλεὺς* fermè adorari? contemtor namque animus, & superbia commune nobilitatis malum, ad talia reges & principes, nobiles & plebeios, pauperes & divites, communi lege impellunt. Sed enim, vt *infelix felicitas est, quæ hominem reddit*

21

reddat insolentior, eoq; non plausum meretur, sed lacrymas; ita gravius peccant ij, qui ea ducti, imparia viribus suis affectant. Quid enim laborat infelix humanitas *quàm vane!* de rebus, honoribusq; suis promovendis? *Tacit. I. annal.* *Cuncta mortalium incerta; quantoq; magis adeptus sis, tanto te magis in lubrico censeas.* Quod si, vti par, cuiq; pro regulâ etlēt; non cœcis ausis, levitate naturali allectus; novitatis studio titillatus; opinionum velamentis deceptus; insolentiæ ventis inflatus, functiones proprias abiuraret, alienas tantum expeteret; *Sen. eplâ. cviii.* *Optimum, potius firmiter censeret, pati quod emendari non possit, & Deum, quo auctore cuncta eveniunt sine murmure comitaretur; contra faciendo, quàm malus miles, qui imperatorem suum gemens sequitur.*

Huc iam perventum est, & cum gratiâ, Auditores Clarissimi & Ornatissimi; vestrum perventum; Restat iam, vt dehortationibus, infractis rationibus & firmamentis, quenq; de hâc sua spernendi, aliena sectandi noxâ, abducendum, cum veniâ vestrâ nobis sumamus. Quod dum aggredimur, non dubitamus, quin eâ, quâ hucusq; nos, balbutientes fermè, audire estis non dedignati, post paullum, etiam sitis audituri.

Plato in civili.
 Ut itaq; *Divinæ mentis bonitas erga infirmos homines;* Pastor mortalis gregis humani Deus, omnia benè fecit; ita in hoc quis *ad. G.* infinitum illud bonum mali quidpiam machinatum furibundus evomat, dum fortî quemvis suæ, per sortes quasi præposuit? Profectò, si cum nescio veri DEI Platone solum confiteamur; *Nullum deum malevolum hominibus;* nostros in quibus positi status, leniter, licet non leves, perferemus. Neque etiam; si gubernatorem modò omnium rerum serio & ex animo credimus,

— ire per omnes
 serrasq; tractusq; maris;

desperati propria negligunt, istis interim occupati,
quarum sollicitudo non ex re suâ, non ex usu. quin
Senec. in potius ferendum non culpandum quod mutari non potest; li-
prov. cet enim.

Horat. o- *durum; sed levius sit Patientiâ*
de xxiv. *quicquid corrigere est nefas.*

lib. I. Et me-hercle, si

Claud. II. ——— *durum patientia corpus*

Paneg. in *Instruit, ut nulli cupiat cessasse labori;*

laud. Sti- quantò arctius suæ functioni quis adhærescet, quò diu-
licon. tius cum eâ conversabitur, quò fideliozem in asseren-
quod, si fe- dâ eâ se præstiterit; licet ad tempus intolerabilem
ceris; in- eam, non sine dolore opinatus fuerit; dulciorem eò
iucunda in- cum desiderio paullo post exosculabitur, lætabitur
cundissima videbun- illâ, & satis acquiescet. Quòd si quoq; scrupuli aliqui
tur; incommoditatum, ut consuetum inter mortales, illum
etiam tibi vrant, ut adversitatibus fractus, magnâ voce illud in-
fermè invi- geminet;

to; *O quàm dura premie miseros conditio vita! libenti tamen*
Cornel. animo, aut æquiore saltem quod necesse est, feret,
Gallus. consuetudine victus agendi sua, & sine fastidio confi-
Senec. ciendi. *Ut certi sunt dormitores ferarum, qui servissima anima-*
lib. XII. *lia, & ad occursum ex parte facientia hominem cogunt pari iugum,*
ep. LVIII. *nec asperitatem excussisse contenti usq; in contubernium mitigant;*
ita ille temporis longinquitate quoque, quæ aspera,
sinistra & adversa sese offerent, ad eò familiaria sibi
reddet; ut quantumvis interdum cicatricem, quod a-
iunt, pristini vulneris refricare videantur, videantur
tantum, sed non queant. Sperne ergò circa te dolores;
qui ut aliquid videantur tibi inferre; non infligant.

Ipsus. I. Et scito; *Affuescendum tibi conditioni tuæ, & quàm minimum*
de Tranq. *de illâ querendum, & quicquid habet circa se commodi apprehen-*
animi *dendum. Nihil enim tam acerbum est, in quo non æquus animus*
cap. x. *Sola-*

21
solacium inveniat. Adhibe rationem difficultatibus; possunt & dura molliri, & angusta laxari, & gravia rite ferentes minus premere.

Neque etiam in Care, quod aiunt, periculum fiet, si illius vitæ generis in quod incidisti, laqueum solvere velis, & abrumpere; circumstabunt enim te in tali metu istiusmodi motus, vt peregrinatione, & assiduis mutationum turbis, res non tantum tuas turbes, sed animum evertas, & compositam deturpes tranquillitatem. Quæ posset enim illa mens in vilo tranquillitatis puncto acquiescere, quæ proprijs non contenta, aliena spectat & miserè affectat? quæ se infelicissimè vivere, alios in DEI quasi sinu foveri opinatur; quæ assiduè in augendâ re sedet, & obruitur? namque vt rectè Seneca *Æquus animus dicit summa felicitas*; ita contra, vbi quis sua dedignatur, omnium est infortunatissimus. Qui brachium sibi aut crus fregit, non pyr-rychicam expetit aut choream; illorum quæ dementia, qui defectum illum in suis, motu sanare volunt & discursu? Dicat quæso aliquis; loci mutatio quid profit, aut status? nisi fortè talis conditio est, quæ stipulatim quasi felicitatem cuiquam promittat, dolores demat, & omnes adversitates; Atqui vbi ea est locorum? ni fortasse talis, quæ deterior tuâ in deterioribus te constituat, & relinquat. Ita sanè accepimus evenire ijs; qui ardore mutationis quadantenus immutati, in hanc illamve rem inclinant. Lucius ille fabulis; quod fabulis; huius rei accommodum est exemplum, qui suum genus despiciens, regiamque affectatus, à miræ magnitudinis delphino è mari eiectus, vix cum vitæ periculo evasit. Errant itaque multum ji & doloris cum experimento sui oberrant, qui suis mutatis, meliora se consequuturos, vanè ominantur. Cur enim Martialis rogat? & vacuum dicitur stabilium;

Omnis

libr. XI.
Epigr.

Plautus.

*Omnia cum tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes non vis; ergò quid accipies?
Dicam; cum deniq; homines sua intelligunt bona,
Cum qua in potestate habuerunt, ea amiserunt.
Neque hinc*

Senec. in
Agam.
heu! quam
sepe homi-
nes experia-
untur!

*quem poenites peccasse, penè est innocens;
meritas poenas delicti sui exsolvent, qui temerario au-
su conditionibus suis se exverunt, & exemerunt.
Quàm tum vitæ priori se reddi vellent suarum rerum
desertores; si optatis, vt Coeneus ille in fabulis è fe-
minâ in virum transijt, negocia illis sua succederent!
quàm infractis viribus & voluntate, posthabitis alie-
nis sua curarent; si ad priora redire, ut in votis illis;
sic foret in potestate, sed incassum incauti se tor-
quent, ut qui aureo hamo piscati, pilos pro lanâ in-
venerunt. O coecam, & vix ferendam mortalita-
tis cupiditatem!*

Aene. III.

ut Horati-
anus muta-
tor;
1. Ep. VII.

*— quid non mortalia pectora cogis?
in quantas angustias affleclas tuos non deturbas? Ho-
ratiānus quidam quâdam in Satyrâ docet, qui*

— ex nitido sit Rusticus, atq;

*Sulcos & vinea crepat mera, preparat ulmos,
Immoritur studiis, & amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto; morbo periêre capellâ;
Spem mentita seges; hos est enectus arando;
Offensus damnus, mediâ de nocte caballum
Arripit, iratusq; Philippi tendit ad ades;
Quem simul aspexit scabrum, inconsumq; Philippus;
Durus, ait, Vulcei nimis, attentusq; videris
Esse mihi. Pol me miserum patrone vocares,
Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen.
Quod te per genium, dextramq; deosq; penates
Obsecro & obrestor, vita me redde priori.*

Ita

Ita huic in melius mutatio cesserat ; non minus quam *cum cane*
 Æsopico isti canis; qui trans fluvium rictu , splendente *Æsopicos*
 sole, vehens carnem, vmbra, carnem ratus, captan-
 do, quod in ore tenebat perdidit, cupiditati magis
 suæ quam voracitati indulgendo.

Tanta incommoda assidua iactatio, frequens offi- *quibus isti*
 ciorum mutatio parturit ; Sed & illa, quibus præcipi- *morbi, ad*
 tatum & incompositum vivendi istud genus, sibi ipsi *maiora*
 nocivum quodammodo est, & tenebræ quod aiunt in *symptoma-*
 medio sole existunt. *Ve enim omnia non properanti clara*
certaq, sunt ; sic festinatio improvida est & cæca. quò fit, vt sæ- *ta causæ ;*
 pè sibi ipsis obstant homines, nec eo perveniant, quò *Liv. lib.*
 pertingere ijs alioqui fuisset licitum, si incogitanter ita *XXII.*
 sua non præcipitassent. Sanè, si *scelera impetu, bona consilia*
morâ valescunt ; quis miretur, si præcipitatio ista homi- *Tacit. I.*
 num, miseriam compensetur, miseratione nec digna *Hist.*
 censeatur? *Celeres istos quidem celerem panitentiam, sed e-*
andem seram atq, inutilem sequi Liuius scribit, neque fi- *lib. xxxr.*
 ne causâ. Tacitus etenim omni virtute antiquis *vt Tacitus*
 proximus, verum exemplum recitat, vbi ita inquit: *clarum fa-*
Brutidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret
ad clarissima quæq, utrum festinatio extimulabat, dum æqualis, *cit exem-*
dein superiores, postremò suasmet ipse spes anteire parat. Quod *plo ;*
multos etiam bonos pessum dedit, qui speretis, quæ tardâ cum secu-
ritate, præmatura vel cum exitio properant. *Ann. III.*

Et vt de alijs paulisper quædam attingamus ; qui, *& nos a-*
 res novari, & regna mutari expetunt, quid aliud hi *lio ;*
 quam maius accersum malum? *Imperium enim cupienti-*
 bus, nihil medium inter præcipitia aut summa; quod olim (me- *Idem*
 morandum sanè !) Annibalis comprobavit furor, qui *Hist. II,*
 vi & viribus Romanum regnum affectans, cum Car-
 thaginensium seipsum & suos omnes perdidit. Ita sæ-
 pissimè

C

Senec. de pisissimè multi dum se maiores quàm audiunt haberi voluerunt;
Benef. vi. attraxère super vacua, & in discrimen rerum omnium per ventu-
cap. xxx. ra bella; quod Seneca multis seculis ante prædixit.

immo bra- Quos sanè iumentorum, & animalium brutorum
ta animan- naturæ à proposito revocare deberent, quæ suæ con-
tam natu- ditionis, etiam miserrimæ, nunquam subit poeniten-
ris; tia. Neque enim quod Horatij quodam in loco scri-
ptum permanfit;

i. Ep. 14. Operat ephippia bos piger, operat caballus, quippiam obstat,
tantum abest vt nostræ sententiæ adversetur; vt levi-
tatem hanc, de quâ iam agimus humanam, non boum,
depictam & taxatam eo dicamus. Libentius enim mul-
tò bos, aratro cui consuevit subdit collum, quàm tra-
hendæ trahæ; libentius multò currum equus ductitat,
quàm aratrum; nullo alterius munus temerè
invadente.

quas sequa- Ita & nos mittamus aliquando hæc vana; eijcia-
mur; mus tandem temeritatem istam, quidvis occipiendi;
& quod, divino mandato stabilitum; diligentiam no-
strâ fulcitum; incommodis infinitis exemptum;
brutis animalibus comprobata credimus propria
curandi debitum, manibus pedibusque exsequamur;
præcipitantia vitium detestemur, & si sapimus, se-
quamur ab alto trahentem illam vim; & æquum
censeamus, ferre, quæ in humanitate nobis ferenda,
placuit DEO. Et quidem isto modò:

Deum da- Illam ipsam providam mentem, quæ coelum hoc
torem for- cottidie volvit revolvit; solem ducit reducit, fruges
tunarum promit recondit, istius nobis auctorem conditionis
nostrarum cogitemus, in quâ positi floremus vel fluctuamus.
fatendo; Etenim, ut naturalia omnia à Deo sunt; ita vicissitudines
Pla. in So. omnes, rerum nostrarum & eventuum, divinitus no-
bis

bis immittuntur, & admittuntur. Hæc sunt aurea illa arma, quibus nos tectos Plato militare voluit, contra casum omnem & fortunam; his nos defendamus, & divino illi decreto non contranitamur; quod, si voluisset alios non condere, & aliter collocare potuisset; sed quia noluit, ideone, quod gigantes olim ausi, eum de coelo deturbabimus? *Ad hoc Sacramentum adacti sumus*, Seneca ait, *ferre mortalia, nec perturbari his quæ vitari potestatis nostra non est. In regno nati sumus. Deo parere, libertas est.* Quod futurum, ubi commoda illa & bona, quæ ille vel acervatim vel minutatim nobis obtulit, haud gravatè grati consideraverimus, ijs, nec efferamur felices; nec deprimamur minus; verum in omnibus *τὸ μὴ δεῖν ἄγαν* observantes, grata DEO, nobis salutaria faciamus, illius in adversis è coelo delapsi semper memores, *ἀνέχου ἔδραχου*; uti & huius, *οἴσταν καὶ ἐλπίζεον*, salubrium consolationum. Atq; ut circa *nilum pisces mansuescieri* dicuntur; sic quisque in suo statu homo, in incerto fortunæ ludibrio debet. Tollit te illa? ne attollitor; mergit? ne suppressitor; sed vate audito, qui *juxta à unum bonum simul duo mala distribuisse hominibus deos immortales*, prudentissimè judicavit; animum obfirma ad quidvis perforendum. Et cur reluctarere? cum

ijs acquiescamus;

cum laude divinâ;

Plat. in ci. tempore. mus felicitatem, & infortunius Pindarus.

Eclog. ix Virg.

Sen. Me.

in aliâ functione non minus quam in nostrâ malum scientes;

— *fors omnia versee*

sua, id est, fortunam, opes, honores, divitias, & auferat pro suo lubitu, animum neutiquam. An putas in aliâ functione minores ærumnas & molestias, quàm in tuâ privata? Profectò, si tu proximo tuo, cum quo miseras tuas commutatas velles, tuas oculis subijceres adversitates, ille tibi suas, an non putas æquilibrem futuram vestram commutationem? tui,

C 2

crede

crede mihi, acquiesceres, cum in omnibus terris, ædi-
bus, sedibus aulis & caulis, sit labor atque dolor, dolor
exemplis atq; labor. Et quid privata tantum tua inspicias? pu-
multis mo- blica consule aliquot seculorum monumenta, inno-
ti; præ- tescet tandem, omnes, omnes inquam suorum saturos,
sertim aliena suspicientes, gravissimo lapsu protinus extin-
asini illius; ctos fuisse & everfos. Asinum in apologis τὸ πρῶ-
τον ἐὼς τὸ ἑξῆς διδάσκον, quid exceperit cognovisti?
bardiq; pu- voto, ejusque successu concludam, non diverso fato;
milionis. & tibi cave;

in quo con-
cludo.

Nanus erat binis quondam non longior ulnis,
Exiguâ insignis brevitare atq; integer annis,
Quem propter facti novitatem, artusq; pusillos,
Optabant hilares cœna, & convivium læta.
Hunc mulcère senes, pueri, innuptaq; puella,
Et cupere; & læti circum amplexarier omnes;
Felix ni cuicumq; homini sua displiceat fors!
Hunc atrox propria brevitatis cura misellum
Vrebat malè, & occursans miseratio sortis
Invisa; pro quâ ille Deum incusare solebat,
Assiduè objiciens tantilli corporis artus.
Audiit orantem divûm pater optumus, & rex,
Et quid, ait, nos obrundens prece sollicitâ, vis?
Procerus fieri, & longos assurgere in artus.
An statura placet, communi longior? an qua
Fimibus, est homines inter, mediocribus? inquit,
Opta animo quam vis speciem, tibi namq; eris à me,
Sive brevi, seu tu ma'vis procedere longâ.
Consilii dubius, formâq; incertus in omni,
Hæret pumilio; at tandem; mihi formâ Gigantis

Supra

21

Supra hominum cubitos extans, aut quatuor, aut sex
Longa placet; Deus, esto Gigas, ait, & prece ne me
Posthac sollicita, atq; informi voce fatiges.
Nec mora; pinguescunt membris crescentibus artus;
Corpus & in longum sensim producitur omne,
Ut sole inclinante hominum sit longior umbra;
Fitq; eadem noctu deprenso lumine major;
Sic, quantum cupit exsultans extenditur ille,
Surgit in immensum, toto jam longior est pes;
Hunc subito circumveniunt incommoda mille;
Imprimis quærenda illi domus amplior, & lar;
Esuriens magnis pascenda laboribus alvus,
Deciduousq; amplis arcendis vestibus imber.
Ille ubi se obsessum damnis videt undiq; cælum
Respiciens, inquit, tua me indulgentia perdit
Iuppiter, ipsa boni fallax me lusit imago;
Informem in visamq; mihi Pater exue molem.

D I X I.

EVENTVS REI, IN MANV DEI EST.





IOANNES BOCHMANVS.

^{avare.}
HVIC MENS SANA BONO.

Maxima sæpè tulit dicendo commoda Svada,
Sæpèq; perniciem suada maligna tulit.
Riuulus illa velut mentis scaturigine manat:

Improba si mens est; improba mente fluunt.

At inueni HVIC MENS SANA BONO:


quoq; flumina Sana

Ex sano in Patriam fundere fonte potest.

1 Benevolentia ergò faciebam

Theodorus Drejer

Marchiacus.



AD IANVM BOCHMANNVM

Commensalem suum suauissi-

um & amicum verè Py-

ladeum.

Harmonico fidium fingunt Amphiona vates
Demulsisse sono saxa, ferasq; truces.

Orphea quin etiam Stygiam penetrasse paludem,

Redderet ut luci coniugis ora sua;

Et

21
Et flexisse lyra melico modulamine dulcis,
Qui tetricā exercent per nigra regna Themim.
Est aliquid; verum liquido qui flumine lingua, &
Desigat doctos arte, stupore, viros;
Et quocunq; velit nunc huc nunc flectat & illuc,
Hic fert ingenio clara trophæa suo;
Orphea flexanimi vincitq; Amphiona voce,
Dum replet hunc lepidis mellea suada sonis.
Quod dum Iane facis; tantis congratulor ausis,
Comprecor &, tecum quo iste perennet honos.
Atq; viris maneat, acceptus, amabilis usq;
Qui musas studio demeruere suo.
Id fiet; veteris si te trahet orbita vita,
Nec statues ocl turpia castra sequi.

Hermannus Samsonius
Livo. Rigenfis.



